

centesimo vigesimo tertio, Indictione secunda, Romanam Ecclesiam regente Calixto Papa Secundo, ordinationis quoque Udalrici Constantiensis Episcopi, ejusdem nominis primi anno quinto, imperante Hainrico Imperatore Augusto, die sexto Kalendarum Decembrium, dominante super omnia in caelo & in terra Jesu Christo Domino nostro, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat in omnia secula seculorum. Amen.

## II.

## CHRONICON VETVS DVCVM BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM.

**I** circa principium conversionis Saxonum, LVDOLFVS, Dux Saxonia, post mortem Karoli annis LX, fundavit Ecclesiam Gandershem, & fidem, quam novellam adhuc habuit, pii operibus confirmavit. Iste genuit tres filios, ODDONEM, BRVNONEM & TANQUARDVM. Hi duo, Bruno & Tanquardus, civitatem Brunsvick, sicut habetur in quibusdam Chronicis, fundaverunt. Unde & quaedam pars ipsius civitatis, urbis scilicet, in antiquis privilegiis Tanquerode crebrius appellatur. De inculto Danorum fuit illis temporibus populo Ecclesiae Dei plaga maxima, qui in Francia, & partibus occiduis, omnia crudeliter vastaverunt. Ipsi in Theutonia Bruno & Tanquardus in manu valida occurrerunt, & cum eis confligentes, & gloriosa de eis habita victoria, cum ad sua redirent, inundatione gravi imbrum perierunt. Oddo autem, qui de fratribus fuit superstes, Dux Saxoniae extitit, regnum Romanorum, quia grandaevus fuerat, recusavit. Unde Conradus in regem concorditer est electus. Quo cito mortuo, in regem HENRICUS I. Oddonis filius, de consensu Principum est promotus. Iste Henricus, de Vinkeler dictus, coronam raro sibi imposuit, sed regnum humiliter gubernavit. Brandeborch urbem, super glaciem castra ponendo, expugnavit: Slavos devicit, IX. annorum tributum solventes: simul & interim Saxoniam muniens, Ungaros, quibus Saxones tributarii erant, ejecit, & contra insultum Ungarorum Saxonia oppida munivit. Juxta Wagersleve L milia Ungarorum, cum quatuor millibus, in praelio superantur. Misne montem contra Slavos construit, & urbem Quedelingeboch, in qua congregationes nobilium feminarum instituit; Ubi filiam suam primam esse voluit Abbatissam. Et ut esset Domina Principum, praedia largissime donavit, Ecclesiam in honore S. Servatii dedicari fecit, & in die dedicationis, in refectorio Dominabus XI fercula, XI mensalia pretiosa, XI millia mansorum ministravit. Hic imperavit anno Domini DCCCCXX, & XVIII regnavit.

Huic erant tres filii, BRUNO Archiepiscopus Coloniensis, OTTO primus Imperator, & HINRICUS Dux Bavariae. Quorum mater fuit Domina Mechtildis de Ringelheim, soror Reineri & Ymmolbi, qui fuerunt de semine Regis Saxonum Witekindi. Witekindus Rex Saxonum a S. Bonifacio baptisatus, de sacro fonte a Karolo est levatus. Qui genuit Wichbertum, Wichbertus Waltherum. Qui ob devotionem Romam vadens, a Leone Papa obtinuit corpus integrum S. Alexandri, filii S. Felicitatis, quod Wildesbusen collocavit. Otto fundavit Episcopatum Magdeburgensem. Iste in die Paschae homicidam, qui ipso die homicidium perpetraverat, & in ipsum irruerat, a reatu absolvit, & ne aliquis ei molestus esset, strictius imperavit. Iste primam uxorem habuit Edith, reginam de Anglia, de qua genuit Ludolfum ducem Suevorum. Edith obit anno DCCCCXLVII, VII. Kal. Febr. Secundam uxorem habuit Adelbeydem, de qua genuit Ottonem Rufum, Imperatorem II.

OTTO II. vel RUFUS de Theophania, filia Regis Constantinopolitani, genuit OTTONEM III. Imperatorem. HINRICUS frater Ottonis I. genuit Henricum Ducem Bavariae, qui Ottoni III. successit in regno. Ottoni III. defuncto, Principes ad electionem Regis in Poleda convenerunt: Et tunc tractabatur de Ekebarde, Ekebarde Marchionis Orientalis filio, qui erat dives & praepotens, & Marchio Orientalis. Sifridus & Benno, filii Comitis Sifridi de Bommenboch, cum Comite Thiderico de Katelingeboch, ipsum Ekebardum ibidem in Poleda occiderunt. Qui ad fundum hereditatis suae delatus, super fluvium Salam in oppido Jene primitus est sepultus. Postmodum in Ecclesia cathedrali Nuenboch terrae solemniter commendatur.

## DE HINRICO II.

**P**ost haec in Henricum Ducem Bavariae, ut esset Rex hujus nominis secundus, Principes assenserunt. Hic erat filius Henrici Ducis Bavariae, cujus etiam pater Henricus, Dux Bavariae fuit, frater Ottonis primi. Unde ejusdem nominis, quot ab uno fratre Ottoni Reges fuerunt, ab alio Henrico unius nominis, Duces Bavariae successerunt. Iste Henricus sancte & juste regnum rexit; Episcopatum Bavenboch fundavit, ubi Swickerum, Canonicum Halberstadensem, Episcopatum praefecit; qui postea in Papam est assumptus, & Clemens II. appellatus.

DE



## DE PAPA CLEMENTE II.

**I**ste *Swickerus* erat de quibusdam nobilibus in Saxonia, quorum fuit proprietas *Morsleve* & *Hornborch*: quam *Thidericus*, Nobilis de eodem genere, filium non habens, Halberstadenfi Ecclesie dedit, indignatione motus contra sororem suam, Dominam *Clementiam*, cui eadem proprietas debuerat successisse. Iste *Vngaros*, insultum facientes in Theutonium, superavit; *Stephano* Vngarorum Regi cum gente sua ad fidem converso, sororem suam matrimonio copulavit; *Cunegundim* uxorem suam virginem dereliquit. His temporibus in *Brunswick* princeps fuit *Bruno*, qui *Comes* dictus est, quod esse potuit, quia ducatus, quem predecessores sui tenuerunt, maribus deficientibus ab *Ottone I. Hermanno*, *Bilingi* filio, est donatus. *Brunonis* uxor fuit *Domina Gbista* de *Werle*, quæ eidem genuit *Ludolfum*. *Gbista* autem, prius habens *Lippoldum*, *Ernesti* Ducis filium, genuit *Hermannum*, Ducem *Sueviz*. Post *Brunonem* autem nupsit *Conrado II. Regi*, qui *Henrico* de *Bavenberch* successit in regno, cui genuit *Hinricum III. regem*, qui mansuetè regnavit.

## DE HINRICO III.

**H**ic Ecclesiam *B. Matthei* in *Goslaria* prædiis, & multis Sanctorum reliquiis, honoravit. Hic apud *Hartonen* in *Botwilde* obiit, & filium *Hinricum IV.* successorem Imperii dereliquit.

## DE QVARTO HINRICO.

**I**ste multis præliis *Saxones* vexavit, urbem *Hartesborch*, & monasterium construxit in ea, quam *Saxones* destruxerunt. Victoriosus in bello fuit. Qui & Ducem *Saxonia* de *Luneborch*, *Magnum* nomine & *Albertum*, Marchionem de *Ballenstede*, cepit, & anno integro detinuit captivatos. Tandem Papa contra ipsum ferente sententiam, de regno deponitur, & in *Leodio* moriens, filium *Hinricum V.* successorem regni, qui eidem patri cum *Saxonibus* adversatus fuerat, dereliquit.

## DE HINRICO V.

**I**ste *Hinricus V.* in eos, qui eum Regem creaverant, arma convertit, & cum de magna adiutorum multitudine confideret, *Saxoniam* hostiliter intravit. Cui Dominus *Reinhardus*, Halberstadenfis Episcopus, *Luderus* Dux *Saxonie*, *Comes Hermannus* de *Arnesborch*, in *Welpesbolte* cum militia occurrentes in bello, de Rege victoriam sunt adepti, anno Domini *MCXV.* Qui postea moriens in *Spira* *MCXXV.* nullum reliquit de suo genere successorem. Hac de Regibus, ad *Duces Brunswik* pertinentibus, sufficiant enarrata.

Porro *LVDOLFFS* genuit *EKBERTVM* & *BRVNONEM*. Hi in *Mersborch* Principibus ab Imperatore vocatis, venerunt prope *Nendorp* ad flumen, quod *Salica* dicitur. Ubi ipsis *Otto* & *Wilhelmus* fratres, Principes *Thuringia*, hostes eorum, occurrunt, & bello commisso, *Brunonem* occiderunt. *Eckbertum* graviter vulnerantes: è contra altero duorum fratrum, Principum *Thuringie*, interfecto, scilicet *Wilhelmo*. Nam *Otto* superstes, *Adelbeydem* *Alberti* de *Ballenstede* generavit. Qui *Otto*, ut fratris bona ab Archiepiscopo *Moguntino* obtineret, subditos suos ad aliqualem decimarum solutionem inducere satagebat, quoniam nullas decimas dabant, sed ad coquinam Regis in quingentorum porcorum tributo annuo, à Rege *Thiderico* ipsis imposito, tenebantur. Istud tributum remissum est *Thuringia* à *Hinrico* Rege de *Bavenberch*, ad preces & obsequia venerabilis Domini *Olrici* de *Wimar*, Principis *Thuringorum*.

## DE CLODOVEO REGE.

**N**ec prætereundum, quod *Clodoveus* Rex *Francorum*, quem *S. Remigius* baptizavit, non tantum *Galliam*, sed totam *Germaniam* obtinuit violenter, quam & à Romanorum tribunis & tributis liberam esse fecit. Quo mortuo, regnum ejus inter quinque suos filios est divisum: ita quod filio ejus *Thiderico* hujus habitationis regio est relicta. Qui *Thidericus* *Thuringos* cum *Saxonibus* impugnans, eos subegit, & *Thuringos* ultra *Hartonen* locans, *Thuringorum* terram *Saxonibus* assignavit. Causa vero bellorum supra dicti Regis *Thiderici* cum *Thuringis* fuit, quod *Thidericus* Rex *Saxonum*, *Thuringorum* Regem *Erenfridum* sibi esse subditum exigebat. *Erenfridus* consilio uxoris suæ usus, quæ soror erat Regis *Thiderici* ex patre, mandavit, quod à sorore sua nobili ipse spurius deberet potius subjugari. Respondit *Thidericus*: multis capitibus meorum oportet me redimere libertatem. Unde cum magno *Francorum* exercitu & *Saxonum*, super fluvium *Vnströte*, vallum in *Scidinge* obsedit, in quo erat congregatum totum robur exercitus *Thuringorum*. *Saxones* autem, qui erant quasi novem milia, pro strenuitate & pugnandi audacia præmissi sunt in acie certamine. Sed *Thuringis* fortiter oppugnantibus, bellum est ingravatam, adeo quod hinc & inde vulneratis & occisis plurimis, *Saxonum* VI milia interierunt. Fiunt treuge, saucii alligantur, mortui tumulantur. Et ecce quidam de *Thuringis*, nisum ferens, illum avolare misit, quem *Saxo* quidam, ex altera parte fluminis allectum, cepit. *Thuringo* avem repetente, & *Saxone* negante, spondet *Thu-*



*ringus*, si *Saxo* avem reddiderit, se secretum proditurum *Saxoni*, & toti populo suo profuturum. Avis remittitur, & secretum his verbis familiariter aperitur: *Dominus noster, cum sit Regis nostri & filiorum suorum affinis & consanguineus, ad faciendam pacem flexus, de vestra constantia pertimescit, ut si inimicos viceritis, arma in ipsum & in suos socios convertatis. Ambobus igitur Regibus cum exercitu suo contra vos insurgentibus, mane experiemini, quod treuga facta in periculum vobis cedent.* His auditis, *Saxones* recedere disposuerunt: sed de consilio cujusdam senis & nobilis, ne crimen imponeretur gloriæ suæ, die illa treugæ servata, mane hostes hostiliter invadunt, & de hominibus, pecoribus, & de omnibus inventis, occidunt, spoliant & incendunt. Quo facto ad Regem suum redeunt, suo honori & virtuti congaudentes. Propter quod salarium à Rege promissum, terram recipiunt *Thuringorum*. Anno Domini *DXXXIV. VII. Kal. Octobris* facta est à *Saxonibus* occisio *Thuringorum*. Hæc ergo dies victoriæ, læta & celebris apud *Saxones* communiter habita, *communio* dicebatur. Unde *communes* dicuntur dies, qui in *Octobri* servantur, ut observantia superstitiosa *Saxonum*, qui tunc pagani erant, modo ipsis *Christum* colentibus, ad religionem transeat pietatis.

**EKBERTUS**, *Brunonis* defuncti frater, qui *Marchio* dicebatur, genuit *Ekbertum* & *Gertrudim*. Quæ defuncto patre, & fratre à fautoribus Imperii interfecto, hæreditatem in *Brunswick* obtinuit. Cui fidelis erat inter alios ministeriales *Widekindus* de *Wulferbutle*, avus *Eberti*, patris *Guncelini*, patris *Burchardi*, de *Asselborch*, adeo ut pro eo obses esset *Hinrico IV. Imperatori*. Cujus *Widekindi* fidelitatem & constantiam Imperator ipse comperiens, castrum *Scharvelde*, decimam montis *Goslaria*, officium imperiale in *Polede*, cujus proventus erant *M. D. librarum*, ei jure contulit pheodali: quæ tamen cito vacabant imperio, cum *Widekindus* tantum filias genuisset. *Gertrudis* nupsit *Comiti Hinrico*, qui *Pinguis* dicebatur, qui fuit filius *Otonis* de *Northeym*, Ducis quondam *Saxonia*, & erat de progenie *Sifridi*, *Comitis* de *Berneborch*: cujus filii, ut supra dictum est, *Ekkebardum* *Marchionem* in *Polede* occiderunt. *Gertrudis* de *Hinrico* genuit *Rikyfam*, quæ tradita est *Ludero*, qui fuit filius *Comitis Ghevehardi* de *Supelingheborch*, & erat potens & industrius, ad quem devoluta est hæreditas de *Haldesteve*, morientibus *Bernhardo*, qui primo conventum *Canonicorum* in *Luttere* fundaverunt, qui postea, anno Domini *MCXXXV* per *Luderm* & *Rikizam* uxorem ejus in monachos *S. Benedicli* regulæ est mutatus. Cessit etiam eidem *Ludero*, ex uxore sua *Rikiza*, *Brunswigk* hæreditas dignitatis, qui etiam *Duce* *Saxoniae Magno* mortuo, à Rege *Henrico* *Ducatum Saxoniae* pro sua industria est adeptus: *Henrico* vero *Imperatore* defuncto, de *Principum* assensu in imperium est assumptus, cujus gesta magnificata sunt descripta. *Gertrudem* filiam suam ex *Rikiza*, *Henrico* *Duci Bavarie* dedit, cui & *Ducatum Saxoniae* contulit tunc vacantem. *Luderus*, qui & *Lotharius*, in *Longobardia* objit, sed in *Saxonia Luttere* tumultus, ubi post sepulti sunt *Rikyfa* *Imperatrix*, anno *MCXXXIX. III. Kal. Novembr.* Iste *Dux* matrem habuit *Wilpbildem*, filiam *Ducis Magni*, unde & *Catulus* sive *Welp* dicebatur. Patrem vero *Hinricum*, *Ducem Bavarie*, qui *Niger* vocabatur. Igitur *Hinricus Niger* ex *Wilpbilde* genuit *Hinricum Catulum*, generum *Regis Luderii*. *Hinricus Catulus*, de *Ghertrude* filia *Regis* unica, genuit *Hinricum Leonem*, qui ex patre duos *Ducatus Bavarie & Saxoniae* obtinuit, ex matre proprietatem in *Brunswigk* possedit.

## DE ETHICONE.

**T**emporibus *Karoli* erat quidem *Ethico*, *Princeps magnus*, qui pro generis sui excellentia nulli hominum pro pheodo humiliare se volebat: cuius filiam *Lodewicus Rex*, filius *Karoli*, duxit in uxorem. Hæc persuasit *Hinrico*, *Ethiconis* filio, fratri suo, ut vassallus fieret, mariti sui *Lodewici*. Quo renuente, tandem de hoc facto à Rege conventus est. Cui & à Rege promissum est, quod præter alia beneficia tantum de prædiis suis in proprietatem ei daret, quantum in die ætatis longissima cum curru aureo circumiret. Quo promisso illectus, de auro curriculum fabricans, & eum in sinu reponens, socios & equos veloces sibi adhibuit, & in die æstiva montem qui (\*) *Mersborch* dicitur, circumivit. Deinde ad Regem rediit, & Rex ei montem cum *Ducatu Bavarie* dereliquit. *Ethico*, de facto filii indignatus, in solitudine vitam agens privatam, moritur, nec ulli esse subditus dignabatur: unde cum curru aureo dicebatur. De hujus stirpe per aliquas personas interpositas, *Duces Hinricus Niger*, & *Hinricus Catulus* descenderunt: cujus etiam soror fuit *Jutta*, primi mater *Frederici*. De eadem quoque stirpe fuit in *Constantia* quidam *Episcopus*, nomine *Cunradus*, qui pro sanctitatis suæ merito est canonisatus. Quo cum quoque venisset *Dux Hinricus Leo*, pro affectu naturali, & devotione, *Ecclesiam Constantiensem*, ob *S. Conradi* reverentiam, donis & prædiis magnifice honoravit. *Hinricus Leo* uxorem duxit suo generi congruentem, filiam *Ducis de Thuringe*, dominam *Clementiam*, de qua genuit filiam, quam accepit potens quidam & nobilis de *Slavorum* Principibus in uxorem. Quod matrimonium, licet postea *judicio Ecclesie* fuerit solutum, tamen fuit legitimum, quia bona fide utriusque conjugum celebratum. Unde idem *Hinricus Leo* postea duxit *Dominam Mechtildem*, filiam *Henrici*, *Regis Angliae senioris*, de qua genuit *IV. filios*, *Dominum Otonem Imperatorem*, *Henricum Palatinum Reni*,  
*Wilbel.*

(\*) *Merenbarch. Vetus Chron. Sax.*



*Wilhelmum* Ducem, & *Eudermum*, qui in pueritia est defunctus. Et nota, quod *Hinricus* senior, Rex *Anglia* IV. filios habuit, *Henricum*, *Richardum*, *Johannem* & *Gaufredum*; & IV. filias, quarum una data est uxor Regi *Castella*, de qua nata est Domina *Blanca* regina *Francia*, nunc regnantis. Secunda data est *Alexio* Imperatori *Constantinopolitano*. Tertia *Mechtildis* data est *Henrico* Duci *Saxonix*, & quarta *Comiti Tolosano*. *Johannes* *Henrici* filius, duxit filiam, & genuit *Henricum* Regem *Angliz*, & *Richardum* electum Regem *Alemannix*. *Hinricus*, filius *Johannis*, duxit filiam *Comitis Provincix*, & genuit Dominum *Eadwardum* Regem *Angliz*, qui nunc regnat. Anno Domini *MCLXXXIII*. obiit *Hinricus* junior ante patrem. *MCLXXXVI*. obiit *Godefridus*. *MCLXXXIX*. obiit *Henricus* Rex *Angliz* senior, cui successit filius ejus *Richardus*. *Richardus* obiit *MCXCIX*. & successit ei frater ejus *Johannes*, qui obiit *MCCXVI*, & successit ei filius ejus *Hinricus*. Qui obiit *MCCLXX*, & successit ei Dominus *Eadwardus*.

Mortuo *Henrico* VI. Imperatore, & fratre ejus *Philippo* à *Palatino de Wetelingsbach* interfecto, anno Domini *MCCX*, Dominus *Otto* IV. in imperium est assumptus. Hic duxit uxorem *Beatricem*, Regis *Philippi* filiam, quæ obiit anno Domini *MCCXIII*. III. Id. Augusti. Postea duxit *Mariam*, sororem Ducum *Brabantix*; de quarum nulla habuit successorem. In crastino *Mariæ Magdalenz*, contra *Philippum* Regem *Francia* conflixit, *MCCXIV*. Tribus annis in pace bona regnavit, ut pacis filius, ut Rex pacificus posset merito appellari. Fuit enim corpore robustus, animo quietus, pro debito auctoritatis justitiam diligens, & pro affectu pietatis miseris condescendens. Quem virga correctionis in ipsum sententiam Ecclesiasticam promulgari permittendo, Dominus corripuit. A quo tamen misericordiam non abstulit. Nam bellis provocatus & incursionibus, incendia & cædes hominum horruit. Maxime autem cor ejus tetigit & anxit, quod feudi ratione inobediens diceretur. Unde & orare solebat, quod cum Dominus misericorditer absolveret, & de Rege utiliori provideret. Factum est autem, ut electionis suæ moreretur anno in *Harteborch*, in contritione & devotione, sicut secundum hominem putatur iudicium, & à viris fide dignis, & suis confessoribus enarratur. Anno Domini *MCCXVIII*. XIV. Kal. Junii, fuit sepultus in urbe *Brunswik* cum uxore *Beatrice*, & patre *Hinrico Leone*, & matre *Mechilde*, in Ecclesia *S. Blasii* ante chorum. Post obitum ejus, quidam sanctimoniali *S. Borchardi* apud *Halberstadium*, pro ipso oranti, idem *Otto* apparuit, & certo signo exposuit, quod de peccatis ereptus esset: & in misericordias Domini misericorditer introisset.

*Henricus* denique, frater *Otonis*, primo duxit uxorem de *Reuo*, cum qua obtinuit *Palatii principatum*, de qua duas filias genuit, scilicet *Herinck* Ducisam *Bavariæ*, & *Marchionissam de Baden*. Qui eidem in hereditate *Brunswik* succedentes, eam imperio vendiderunt. Mulieres autem quædam *Saxonix* patribus in hereditate totaliter non succedunt, propter opprobrium juris quod *Suavey* dicitur, quod incurrunt ex eo, quod dum *Saxones* XII. annis ad expugnandam *Angliam* defuissent, *Suavey* *Saxoniam* intraverunt, & quorundam uxoribus sunt abusi. *Saxonibus* post XII. annos redeuntibus, quædam mulieres ad *Saxones* viros pristinos redierunt. Aliæ *Suevis* adulteris adhaerunt. Unde statuerunt, quod mulieres ad viros pristinos non redeunt, tam in se, quam in filiabus suis, secundum jus, quod *Suavey* dicitur, exheredarentur. Aliam quoque Dominus *Hinricus* duxit uxorem *Agnetem*, filiam *Marchionis de Laudesbeych*. Quæ cum hæredes non haberet, Domino suo moriente, *MCCXVII*. IX. Kal. Maji, sancte & pie vivendo cœnobium *Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti* instituit in *Winbuseu*, ubi etiam in pace moriens requiescit. *Hinricus* vero *Palatinus*, in Ecclesia *S. Blasii* in *Brunswik*, cum suis patribus est sepultus.

Dux autem *Wilhelmus*, frater dictorum Principum, qui ducatum *Luneborch* possedit, uxorem duxit *MCCII*. *Helenam*, sororem Regis *Slavorum*, Domini *Woldemari*, avi *Erii*, regis *Dacia*, nunc regnantis: & genuit *Otonem* de *Luneborch*. Obiit *MCCXIII*. Pridie Idus Decemb.

*Otto* Dux de *Luneborch*, partem proprietatis patris sui *Henrici* *Palatini*, quam filia suæ vendiderant, suæ portioni totaliter unitam, jure pœodali recepit à *Frederico* II. Imperatore: in curia *Maguntia* celebrata. Hic in bello *Bornebove* contra *Albertum* Ducem *Saxonix*, & *Henricum* *Comitem de Sverin*, congregitur, in vigilia III. feria *S. Mariæ Magdalenz*, cum *Comite Alberto de Orlemunde*, cumque aliis pluribus fuit captus. Unde pro sua liberatione castra *Hidsackere* & *Lovenborch* & *Theram* cis *Albiam* dereliquit. Hic duxit uxorem, suæ nobilitati congruentem, *Mechildem* *Marchionis Alberti* filiam de *Brandesborch*, & genuit *Otonem*, *Albertum*, *Johannem*, *Conradum*. Filias quoque *Mechildem*, *Helenam*, *Alydem*, *Helenam*, *Agnetem*. Obiit autem *Otto* Dux *MCCLII*. Ducissa vero *Mechildis* uxor ejus *MCCLXI*, & in *Luneborch* sunt sepulti.

*Otto* genuit *Albertum* & *Johannem*. *Albertus* *MCCLXIII*. V. Kal. Novembr. à *Thiderico* *Marchione Misnensi*, cum multis suis militibus, fuit captus. Castrum *Affeborch* obrinuit, *MCCLXII*. *Albertus* duxit uxorem *Elisabeth* Ducis *Brabantia*, quæ sine liberis obiit *MCCLXI*. Postea duxit *Adelbeydem* filiam *Marchionis Montis-ferati*, & genuit *Hinricum*, *Albertum*, *Wilhelmum*,

C

mum,

(\*) *Gertrus* *Ludovici* *Bavari*. & *Eilikam*, *Erii* *Badensis* conjugem. *Chron. Sax. Vet.*



*mum, Conradum, Ottonem, Luderum & Mechtildem.* Obiit *Albertus* MCCLXXXIX in die assumptionis B. Virginis, *Brunswik* in Ecclesia S. Blasii est sepultus. *Johannes* duxit uxorem filiam *Gherardi*, Comitis de *Schonenboreb*, qui cum fratre suo terram dividens, *Lunboreb*, obtinuit principatum, & genuit *Ottonem*. Obiit MCCLXXVII. XVII. Kal. Jan.

Item *Otto* senior, ex *Mechtilde* genuit *Conradum*, Episcopum *Verdensem*; *Ottonem* Episcopum *Hildensem*, qui jura Ecclesie suae bene dicitur defendisse: & obiit anno Domini MCCLXXXIX. *Mechtildem*, quam duxit *Hinricus* Pinguis, Comes de *Anhalt*, & genuit *Ottonem* Comitem, & facta est propter sui discretionem postea Abbatisa in (\*) *Gherode*, *Helnam*, quam primo duxit *Hermannus*, Dominus *Hassia*, filius B. *Elisabeth*. Hanc postea duxit *Albertus* Dux *Saxoniae*, & genuit *Johannem* & *Albertum*. Obiit MCCLXX. *Alydem*, quam duxit *Hinricus* filius B. *Elisabeth* Landgravius *Hassia*. *Elyabeth*, quam duxit *Wilhelmus* de *Hollandria* Rex, & genuit *Florentium* Comitem *Hollandriae*: & *Agnetem*, quam duxit *Wislaus* Dominus *Rugia*, & genuit filios & filias.

Sex filiorum Ducis *Alberti* primus *Hinricus*, duxit uxorem filiam *Alberti* Landgravius *Thuringia*. Secundus *Albertus* duxit filiam *Hinrici* Domini de *Werle*. Tres ultimi, *Conradus*, *Otto* & *Luderus*, Cruciferorum se Ordini manciparunt. *Mechtildis* nupsit Duci *Glogovia* MCCXII. in mense Martio. Sit Deus super omnia benedictus.

Anno Domini MCCLXXXVIII, in die *Bonifacii* martyris *Hinricus* & *Anneko* de *Henboreb*, *Hildemarus* Advocatus *Irkesleve*, de *Salderen* miles, cum XII. sociis in *Helmeffede*, à communi vulgo miserabiliter occiduntur. Eodem die inter Dominum *Sifridum* de *Runkil*, Archiepiscopum *Coloniensem* & Ducem *Brabantiae* & eorum complices, inter *Coloniam* & *Nussiam*, praelium fit crudele, in quo duo fratres de *Lucelenboreb* cum aliis pluribus occiduntur. Archiepiscopus *Coloniensis* capitur, & plus quam anno ab illis de *Monte* in vinculis detinetur.

## III.

## FRAGMENTVM

GENEALOGIAE DUCVM BRVNSVICENSIVM  
ET LVNEBVRGENSIVM.

**H**ENRICUS quintus Rex, *Saxoniam* maxima strage invasit, captivatis ejus Principibus, vel occisis. Tunc *Luderus* Dux *Saxoniae*, cum nobilibus occurrerunt regi, in locum, qui dicitur *Welpesholte*, contra multos pauci numero pugnaturi; in quo bello, anno Domini M C X V. potentiam regis *Saxones* contriverunt. *Henrico* vero rege apud *Trajectum* defuncto, anno Domini M C X V I. ex *Mechtilde* uxore sua, filia regis *Angliae*, reliquit filium *Fridericum*, Ducem *Sweviae*; & hic decedens, reliquit tres filios; scilicet *Hinricum*, *Fridericum* & *Conradum* regem.

**MAGONI**, Ducis *Saxoniae* quinti, filiam *Wibildim* duxit *Henricus*, Dux *Bavariae*, frater Ducis *Welf*; & genuit ex ea *Henricum*, Ducem *Bavariae*. Hic duxit *Gertrudem*, filiam *Luderi*, Ducis *Saxoniae*, & genuit ex ea *Henricum Leonem*, & fratrem ejus *Welf* juniorem, & filiam, *Juttam* nomine.

Anno Domini M C X V I. *Hinrico* V. defuncto, **LUDERUS** Dux *Saxoniae* rex electus est, & *Lotharius* appellatus, & anno octavo regni sui Imperator coronatus: & fuit in diebus ejus tranquillitas & pax inter Sacerdotium & regnum: & ita *Lotharius* rex factus, ducatum *Saxoniae* dedit focero suo, Domino *Hinrico*, Duci *Bavariae*, ut duos Ducatus pariter possideret. In isto ergo redit ducatus ad semen *Billingi*.

**LOTHARIUS** vero rex, assumpto duce *Hinrico*, focero suo, *Roma* & *Italia* est potius. Qui cum redire pararet, *Rogero* ab *Apulia* depulso, anno Domini M C X X V I I. cum regnasset annis XII. in matura morte praeventus est: cui successit *Conradus* rex, filius *Frederici*, Ducis *Sweviae*, nepos *Henrici* quinti.

Anno ergo Domini M C X X I X. mortuo *Henrico*, Duce *Bavariae* & *Saxoniae*, *Gertrudis*, filia *Lotharii*, uxor ejus, duxit *Henricum*, fratrem *Conradi* regis: & ille ducatum *Bavariae*, qui jure hereditario debebatur *Henrico Leoni*, filio *Gertrudis* cum matre pueri obtinuit. *Juttam* vero filiam *Gertrudis* duxit *Fridericus* Dux *Sweviae*, frater *Conradi* regis, & genuit ex ea *Fridericum*, primum hujus nominis Imperatorem. Hic *Henricum* filium avunculi sui, exhaereditavit. Cui successit filius ejus *Henricus*. Hic adolescens M C L X X I V. duxit *Constantiam* vetulam LX. annorum, filiam *Rogeri*, regis *Siciliae*, *Calabriae* & *Apuliae*, quae anno aetatis suae LXI. in *Affisio* peperit, vel peperisse finxit, filium *Fridericum*, qui successit *Ottoni*, existens X X I I I. annorum, de quibus require in *Chronicis Imperatorum*.

Contra

(\*) Gherode